B2 19 3

DE CONTAGIONE PESTIFERA PRÆLECTIO


Habita in Almæ Vrbis Gymnaſio

A BALDO BALDO FLORENTINO CIVE, AC ROMANO,

In eodem Gymnaſio Profeſſore; Dum idibus Decemb. 1630. inter Medicos Romani Collegij cooptaretur.

In qua de ipſius Contagij natura, cauſis, & differentijs agitur; probaturve hodiernam Peſtem ex vi Contagionis non ex Aëre, originem ducere, ac propagationem;

Et demum Præſeruatio, atque Curatio ijs præſertim remedijs, quæ minus incerta demonſtrauit experientia, ſummatim præſcribuntur.



ROMÆ, Apud Gulielmum Facciottum. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtol.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſgerens.

P*Ralectionem de Contagione Peſtifera à Clariſſimo Viro Baldo Baldo Florentino conſcriptam è Reuerendiſſimi P. Nicolai Riccardij Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri mandato quam diligenter perlegi, cumq. nihil in ea, vel Religioni, vel probis moribus aduerſum repererim, typis digniſſimam exiſtimo.*

Ego Vincentius Butius Phyſicus.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apoſtolici Mag. Ordinis Prædicatorum.

EMINENTISS. PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

BALDVS BALDVS FEL.

NON queo ſatis laudare (Eminentiſsime Princeps) Medicos aliquot, qui dudum libros ediderunt de curanda lue, impura illa quidem, ac nefaria, quæ per hos annos compluribus Italiæ populis exitio fuit. Quippe nec argumenti diſficultate, neque rei in hoc ſeculo nouitate ſunt abſterriti, quominus in tanto rerum humanarum diſcrimine tam inſigni damno pro viribus obuiam viuerint. Verum enim vero ſententiarum varietas, curationum exitus non ita plauſibiles; quodque adhuc ſupereſt abundè malorum diu, multumque torſit animum meum, atque adeo perpulit, vt quam de re tam graui in hoc Romano Doctiſſimorũ Medicorum Cœtu ſententiam explicaui, publicam omnibus facerem, & apertam. Quæ ſi proinde cederet in commune hominum bonum, prout à me nullo contentionis, ambitioniſve ſtudio proponitur, toti prorſus Italiæ integram, perpetuamque valetudinem ſperare liceret. Cæterum quic-

quid hoc eſt vigiliarum mearum ſummo iure tuo nomini dedicatur Princeps Eminentiſſime, qui tanto ſumptu, tantoq; mentis ardore diuturnam contagionem, eamque terrificam procul vndique ſubmouiſti. nec vnquam deſinis perſcrutari, ſi quam præſentem medicinam tam ſæuo morbo facere poſſis. Omitto ſparſos quaqua verſum exploratores, qui te rerum omnium certiorem faciunt: omitto viarum interclusos aditus: omitto portuum, ac portarum vigiles: omitto ſtrenuos, ac conſpicuæ nobilitatis, & virtutis Præſules à te ſingulari prudentia delectos, vt in Hetruria alter, in Flaminia alius ad hanc immaniſſimam repellendam beſtiam tui gererent vicem, exequerenturque mandata; & hoc vnum addo, Sanitatis Congregationem vſque adeo te duce feruere, vt (ſecundum Deum) vni tibi debeatur incolumnitas non Vrbis modo, verum etiam totius Romanæ ditionis. Huc accedit ſumma liberalitas tua, quâ bonas artes ex animo continenter prouebis; accedunt ingentia beneficia, quibus mirandum in modum me ſubleuaſti. Quare non eſt cur, vel temeritatis, vel ingratę mentis notam deprecer, ſi excelſo iſti animo tuo, noſtrique Collegij inſtitutis obſequi ſtudens, nonnihil & ipſe conuaſaui, proque meo cenſu tributum obtuli. Quod ſi tibi gratum accidiſſe cognouero, non in extrema meæ felicitatis parte reponam. Vale, diutiſſimeque viue decus, & columen Vrbis Vrbium.

DE CONTAGIONE Peſtifera.

PRAELECTIO.

DIV, multumque Patres Præſtantiſſimi cæterique Auditores nobiliſſimi in magna verſatus ſum trepidatione, ac animi moleſtia, ex quo primum intellexi neceſſariam quandam mihi fuiſſe oblatam prouinciam coram vobis de re tam ardua,tamque ſimul calamitoſa, clarius dicam, de Contagione Peſtilenti diſſerendi. Vrgebat enim auctoritas Excellentiſſimi Prothomedici, quæ mihi multis de cauſis pro imperio eſt,neq; pudor, aut animus, tametſi in obeundo munere minus idoneus compoſituſquē videri poſſem, vllo modo concedebat, vt ei quauis excuſatione ſatisfacerem. Parte alia vix animo excutere licebat quantum oneris, quantumque laboris ſubeundum foret, quam etiam triſte, & vt verè dicam infauſtum argumentum proponeretur:terrebat etiam difficultas ingenium: ad ipſum ingreſſum concidebant vires: exhorrui, con-

tre-

tremui contagium hoc inexpugnabile verbis attingere. Scimus enim quantum mortalitatis inuexerit inter mortales, multarum Vrbium clariſſimarum non dum funera completa ſunt. aliarum vix relictum nomen. Prouincias, quarum erat innumera incolarum frequentia in ſolitudinem, & vaſtitatem redigi iam iam audimus. Cõſurrexere propterea Vniuerſi Rerum Italiæ moderatores ad hanc luem vnanimi conſenſu pro virili effugandam. nihil intentatum dimiſere, quod profuturum putarent; nihilque non moliti fuere, quo ſecuram ſalutis rationem inirent, & nihilominus contagium hoc nequaquam vires amiſit, immo illas eundo validiores acquirens hominum diligentias eluſit, & Magnorum Principum fortiſſima antemuralia penetrauit. Nobis autem an tale quid futurum ſit negare potius, quàm affirmare cordi eſt; nam quoties animum aduerto ſummam eſſe Beatiſſimi VRBANI PONTIFICIS, ac D. Noſtri, illiuſque Eminentiſſimi Nepotis Cardinalis Franciſci Barberini vigilantiam, & curam, quæ circa omnium commoda ſemper ingens, & paterna eſt, eamque aſſiduam, & ſingularem, ac quotidie augeſcentem conſidero, ſpes omnino conſtans duraturæ felicitatis affulgere videtur; Et ſi diuinare placet, affirmauerim nos, cum habeamus Principem, cui parem ſeu dignitate, ſeu ſapientia quemuis alium cœteræ nationes obijcere non poſſunt, diſſimilem quoque tot inter mala, ſortem, hoc eſt, meliorem, beneficio Principis habituros. Ex quo propterea factum eſt, vt audacior hodierna luce ipſe extiterim, mentemque priſtino metu exutam firmauerim. Sic proinde Vos Auditores quamuis audituri ſitis atrociſſimi humanæ naturę hoſtis terrificum nomen ſæpius iterari, omnem procul timorem habetote. Gratia enim ipſa cœleſtis, vt ſpero,

aura-

auraque propitij Principis à tam diro, immanique affectu præſtabit incolumes. Cuius quidem, vt ad rem veniam immaniſſimi affectus, atque horrendi, dum extremam ſuperficiem, ac vt ità dicam corticem ipſum, prima fronte perpendo, non obſcura valde manifeſtatur imago; at verò dum hoc primo claritatis velamine, quod ei effectus conciliant remoto, illius naturam, internamque ideam exquiro, totus obſcuritate plenus, tenebriſque pluſquam Cymmerijs obuolutus repreſentatur. Quod fortaſſe fuit in cauſa, vt antiquiores doctrinarum magiſtri de hac materia veluti de re quadam notiſſima, vt multi volunt, vel vt veriſimilius mihi videtur, tamquam de re arcana, & abditiſſima nihil, aut parum ediderint; quaſi non poſſet, aut non deberet longiori oratione deſcribi, ſed Pythagoricorũ more magna potius, & obſcura breuitate indicari. Quorum propterea defectum, ſeu vt melius dicam myſterioſam taciturnitatem, ac breuiloquentiam ſupplere volentes præcedentis ſeculi quidam inſigniores Medicinæ Proceres varias in medium attulerunt Contagij, hoc eſt affectus per contactum acquiſiti definitiones, quibus intermedijs ea iſtius affectus natura, quæ tam diù quaſi ſepulta latuerat, eluceſceret. Hinc aliqui dixerunt contagionem eſſe productionem eiuſdem in alio; Aliqui eſſe tranſitum ſeminarij ab vno ad aliud eandem valentis ex vi propriæ naturæ læſionem inferre. Nonnulli contagium definiuere communicationem morbi factam à corpore in corpus; Quidam verò eſſe id, quod alteri præſtatur dum paſſum fit eiuſdem ſpeciei cum agente; Et alij præterea eſſe affectum dixerunt, qui ex contactu contrahitur, nec totum ſemper corrumpit, & à putredine venenoſa certæ formæ ortum trahit ſuum. Quas definitiones, ſeu potius deſcriptiones,

& alias

& alias forſan conſimiles meum non eſt in tanta temporis anguſtia examinare, cui ſufficit illis relictis antiquiori non tantum, ſed vt exiſtimo etiam meliori acquieſcere, dico Fracaſtorianæ. Vir enim iſte quemadmodum in Syphillide Muſas habuit mirum in modum fauorabiles, ità in Contagij, Contagioſorumque morborum natura exprimenda Apollinem habuit peculiariter afflantem. Quapropter acutè valde Contagionis naturam perſcrutatus in eam tandem deuenit ſententiam, vt non alio modo definienda veniret, niſi per conſimilem quandam mixti ſecundum ſubſtantiam corruptionem de vno in aliud tranſeuntem infectione in particulis inſenſibilibus primo facta. Eſt ſiquidem contagium mixti ſecundum ſubſtantiam corruptio, quia contagionem accepiſſe aliquem minime dicimus eo quod calefactus ab aliquo fuerit, aut vitioſus factus, niſi forſan per tranſumptionem, ſed tunc ſolùm, cùm infectio non circa accidentia, ſed circa ſubſtantiam mixti verſatur; Et ità verſatur, vt de vno in aliud tranſiens conſimilis in vtroque ſubiecto tam in eo, in quo contagio fit, quàm in eo à quo emanat reperiatur: quandò contagem tunc tactam dicimus, cum ſimile quoddam vitium vtrumque tetigit extremum; qua ratione pereuntes ex veneno hauſto infectos quidem fortaſsè dicemus, & ea quæ in aere ſimpliciter putreſcunt lac, carnes, & reliqua corrupta ſanè vocabimus, contagionem verò paſſa nequaquam, niſi & aer ipſe corruptus conſimiliter fuerit. Debet autem huiuſmodi infectio non quomodocumque progigni ac communicari, ſed à particulis inſenſibilibus primum incipiendo ad manifeſtam deinde ſenſibilemque, ac apparentem mixti corruptionem deuenire, vt excludatur à contagionis natura corruptio mixti, qua totum ipſum deſtruitur ſecundum

quod

quod totum eſt, minimè ſecundum inſenſibiles particulas, qua ratione cum domus aliqua ob alterius vicinæ domus incendium ardet, ac comburitur; talem corruptionem nequaquam contagionem vocamus, ſed combuſtionem, quia nimirum nec infectio in particulis minimis, & inſenſibilibus paulatim putrefaciendo adeſt, nec ab ijs primo incipit, vt infectionis propria ſignificatio videtur importare, ſed ſenſibiliter procedens magnas ſtatim inuadit partes & manifeſtiſſimo corrumpendi modo ad deſtructionem conducit; ſecus ac faciat contagium, quod latenter operando minimas primum occupat particulas, & ab ijs in maiores, & nobiliores procedendo, quaſi per latebras, & occultè ſubintrans, prius ſæpè ſæpius vitæ arcem ſubit, occupatque, quàm in extremis corporis viuentis confinijs ſui ingreſſus ſenſilem aliquam (de peſtifero præſertim loquendo) manifeſtationem effecerit. Quid vero in huiuſmodi infectione communicetur, qualitas nimirum, an corpus, quod in controuerſiam ponitur apud Doctiſſimos viros; ego iuxta præhabitam de contagio definitiuam doctrinam, corpus tranſmitti, non nudam qualitatem, & ſpiritalem tantummodo aſſeuerarem, ſed corpus re vera tenue adeo, ac ſubtile, vt noſtrum viſum effugiat, & ad atomorum; ac miaſmatum non minus naturam, quàm nomenclaturam accedat. Sic etenim corpuſcula iſta, quæ labem deferunt, & labefactata infectionis communicationem ab vno in aliud traijciunt tali nomine à pleriſque philoſophantibus donata fuerunt, tamquam ea, quæ inuiſibili quodam aſpectu hinc inde commeantia, inuiſibili pariter modo quod in primo reſidebat ſubiecto, in ſecundo faciunt admirabiliter infectione communicata reſplendere. Eleuantur autem corpuſcula hæc, & inſenſibiles vapores ex minera

 pu-

putredinoſa prioris infirmi, atque efficaciſſima energia præditi non diſſimilem apti ſunt inferre putrilaginem in conſimilia, ſibique analoga corpora, tametſi, quod multis parit admirationem, per media tranſeant, in iiſque aliquando commorentur, nulla eis impertita putrefactione. Tanta enim eſt huiuſmodi vaporoſi corporis tenacitas, & in ſubtilitate viſciditas, vt diù propriam naturam retineat, & niſi magnum obſtet contrarium, vt ignis præcipuè eſt, & Aquilonaris aura, difficillimè primæuam à ſua origine comparatam efficacitatem amittat, deperdatque. Et ſi autem ad aeris ſpeciem corpus iſtud talem præſtans infectionis communicationem accedat, non ſemper tamen, & in omni contagio æqualem retinet conſtitutionem, conſimilem poſſidet tenuitatem; quia nonnumquam ad aqueam appropinquat naturam, & potius humoris, quam vaporis effigiem repræſentat, vt in illa contagione, quæ in contrectandis carbonibus, vel bubonibus vlceratis expullulat, accidere veriſimile eſt; in qua non vapores tantummodo, ſed virulenti etiam humoris portiones aliquæ communicantur, vt de contagio ſcabiei tum Ariſtoteles, tum Alexander Aphrodiſeus in ſuis Probl. docuerunt. id quod, & in morbo gallico, & alijs fortaſſe huius generis morbis quandoque contingit, in quibus vnà cum vaporibus portio etiam humoris tabifici impertitur: cum támen veriſſimum ſit, quod vt plurimum infectio contagionis præſtatur mediantibus vaporibus, ſpiritibus, miaſmatis, & inuiſibilibus prorſus corporibus: à quibus inſenſibiles primum particulæ oppetuntur; inſenſibilis tabo communicatur, atque inſenſibiliter quaſi non minor deſtructio, ac ruina ſecundo infertur ſubiecto, quàm in primo præfuerit, extiteritque; immo nonnumquam tanta eſt vel horum miaſmatum ener-

gia,

gia; vel ſubiecti inficiendi diſpoſitio, vt maior, ac celerior generetur corruptio in hoc, quàm in illo. Neque mirum alicui videri debet, ſi in huiuſcemodi vaporibus tanta reperiatur inficiendi vis, atque efficacia, quia non ex ſimplici putredinoſa minera, ſed ex alta, concluſa, & venefica prorſus eleuantur. Humores enim qui in peſte labefactantur ſiue ſint alimentales, ſiue excrementitij, ad talem putredinis excellentis gradum perueniunt, vt, Gal. auctore, & experientia teſte, veneni vires adæquent; quia nimirum eorum putredo non ordinaria eſt, & ſuperficialis tantummodo, ſed profunda valde, & ad nectareos etiam ſuccos vt plurimum pertingens; neque tantummodo ſecundum partes, vt dicunt, ſed abſoluta vndequaque, & ſecundum totum; ac proinde tam maligna, & venefica, tamque naturali calori ad interitum vſque implacabiliter infenſa. Cum etenim in huiuſmodi putrefactione à putredinali calore talis fiat mixti in miſcibilia diſſolutio, vt noua aliqua ſubſtantia generetur, cui calor prædictus putreſcenti mixto diſſentaneus exiſtat conſonus, vt patet de vermibus, ex quorumdam putredine orientibus; hinc fit, vt hęc noua ſubſtantia à calore pręternaturali in humoribus ipſis ſortiatur naturam humanę planè contrariam, & alienam, tamquam contrarij, & alieni caloris fructum; & ratione indutæ contrarietatis ſubeat veneficā vim, à qua prodit aura illa virulenta, quæ cōtinuò cor impetit, & animal ad mortem ſubeundam diſponit; ratione ſcilicet magnæ excitatæ corruptionis cum diſſolutione priſtinæ ſubſtantiæ, & generatione recentis æquè vitali auræ aduerſæ, ac naturali calori exiſtat putredinalis cōtrarius. ex qua naturarū diuerſitate cōtrarietas oritur virulenta, cum contrariorum proprietas ſit contentio mutua, & violenta deſtructio. Hinc propterea,

 vbi

Digitized by Google

vbi talis reperitur putredo, quæ non expullulant inimicitiæ ſigna? ardet obſeſſus modò, modò algidus deprehenditur, faciem habet horribiliter immutatam, anxius hinc inde ſe iactat, ſiti excruciatur, de inappetentia conqueritur, hinc erumpunt bubones, illinc parotides, atque carbunculi, ac ex toto corpore ſæpe ſæpius variorum colorum exanthemata conſpiciuntur emergere; naturę quidem pugnantis, ſed multo magis virulenti humoris opprimētis argumēta. Sed vtinam ibi gradus cōſiſteret putredo iſta, & quēadmodum in ordinarijs malignis febribus, & peſtilentibus ſine peſte vocatis contingit, intra fines afflicti corporis contineretur. Non hoc ſolo triumpho contenta eſt contagioſa peſtilitatis putredo, ſed alias perquirens victorias ab oppreſſo, vel obſeſſo in alios indicibili modo procedēs vbique pugnat, & quod peius eſt vires acquirens eundo, quos apprehendere valet, ſuoq; hoſtili certamini ſubijcere, vbique expugnat. Vbique profectò tam in malignis, quàm in peſtiferis, & contagioſis inſimul febribus reperitur virulenta putredo, ac venefica contrarietas; non vbique tamen reperitur propriæ venenoſitatis communicatio; quia in illis ſanè vt in iſtis inuenitur ſumma putredo, eaque viſcida, ſordida, interanea, & concluſa, ſed in contagioſis præterquamquod conditiones iſtę efficaciores, atque intenſiores reperiuntur, illis inſuper conſpiciuntur adiunctæ tenuitas, penetratio, ac perfectior commixtio; quibus mediantibus ſeminaria à tali eleuata putredinoſa minera, non ſolum tamquam ſordida conſpurcant, atq. vt viſcida adhærent, ſed tamquam tenuia ſubleuātur, tamquam penetrantia in propinqua corpora ſe intrudunt, & veluti optimè elaborata minimè de facili euaneſcunt. Quibus vero modis non in huiuſmodi ſolum febribus, ſed in quacumque etiam

Pe-

Peſte, vbi non adhuc accenſo in vitali arce febrili caumate contagium reperitur, alijſque contagioſis affectionibus iſta fiat infectionis communicatio, de qua re apud Aſclepiadas perquiritur, quatuor ego apud illos inuenio modos expoſitos. Vnum quem dicunt fieri per contactum, alterum quem ad diſtans appellant, tertium quem per fomitem vocant, & quartum qui per imaginationem fieri à nonnullis ſpeculatiuis aſſeritur. quo veluti ſolum imaginario, aut tantummodo faciliorem ab alijs inducendam infectionem conciliante (mirum enim quantum poſſit apprehenſio) à nobis derelicto, tres priores in conſiderationem adducantur. Eſt ergo primus per contagionem inficiendi modus, quando per contactum immediatum duorum corporum ab vno in aliud mediante tali ahæſione infectio tranſit, & labes, vt in vua, vel pomo marcidis vuuam, vel pomum illæſos contangentibus, & marcorem communicantibus, atque in dente, & ſpuma canis rabidi, qui membrum illud inficit quod mordet, accidere conſpicimus. tale enim contagium, & inficiendi modum nemo eſt, qui non videat per contactum fieri, & duorum corporum immediatam adhærentiam celebrari. Non ità euenit in ſecunda ſpecie, quæ ad diſtans dicitur, & per medium aërem exercetur: quandoquidem nec infectus, nec infecti quidquam vel panni, vel fomes quilibet ſanum tangit, ſed, ſolo deferente aëre, vnius labes, & inquinamentum alteri impertitur; id quod, & in maligna ophthalmia contingit, in phthiſi, & in peſte ipſa, & præſertim hac noſtra, in qua ſimplex etiam habitus labefactat, mediante nimirum exhalatione quarũdam particularum ex male affectis, & coinquinatis oculis, pulmonibus, & corporibus, in ſanos oculos, pulmones, & corpora commigrantium. Tertia de-

demum contagionis ſpecies, & inficiendi via ea eſt, quæ per fomitem dicitur, & mediantibus illis materijs, quæ aptæ ſunt cõſeruare ea ſeminaria, quæ à primo emanant, celebratur, & fit; vt cum panni lanei, laneæque veſtes, ac lectuli, & ſimiles res poroſæ ab infecto aliquo contrectatæ, nonnihil talis læſionis recipientes, alteri adhuc illæſo impertiuntur, qualiter apud Cæl. Aurel. de ſartrice quadam fit mentio, quæ inde rabiem contraxiſſe ſcribitur, quòd veſtis ſuendam fimbriam à cane rabido conſpurcatam, & lacerantis canis labem conſeruantem, momordit. Sic inter reliqua marcorem proprium communicare poſſunt, & ſolent lepra detenti; ad quam propterea euitandam, non ſolum docent Sacræ paginæ in Leuitic. aufugiendum contactum eorum corporum, quæ lanea, vel linea, aut pellicea ſunt, atque etiam ſtamina, & ſubtegmina quæcumque, ſed inſuper deſquamandos leproſorum parietes, & noua calce oblinendos imperant, vt omnis abominabilis illius morbi remoueatur fomes, omne tollatur recentis illinc repullulaturæ infectionis periculum. Tale præterea, vt alia omittam, in hac per Italiam graſſante peſtifera lue reperitur contagium; immo non reperitur tantummodo, ſed, quod peius eſt, cauſa illius exiſtit, origo, & principium; atque vt ſummatim dicam illud prorſus eſt, quod eam produxit ab initio, quod in præſentiarum conſeruat, quodve, niſi extinguatur, in futurum conſeruabit, augebitque: concurrentibus inſuper ad talem propagationem vtroque altero contagio, per contactum nempe, & ad diſtans, tamquam ijs, à quibus in propinqua corpora transfertur tabifica labes, dum ab eo, quod per fomitem exercetur non in proximos tantum, ſed in longinquos etiam locos ad homines corrumpendos vitioſa, ac deleteria ſeminaria

de-

deportantur. Hinc propterea ſummopere collaudanda venit noſtrorum Principum ſedulitas in auertendis à ſuæ ditionis confinijs quibuſcumque ſuppellectilium generibus ab infectis locis prodeuntibus, & omni cum ſimili gente commercio interdicto in repellendis, indeq; repulſandis cuiuſcumque ſortis animalibus, & hominibus. In qua adhibenda cautela, vt Principum maximus, ità principem obtinet locum Pontifex Summus Vrbanus, vnàque cum ipſo Eminentiſſimus Cardinalis Barberinus, qui nulli parcens labori, diu, noctuque inuigilat in decernendis ordinibus, in machinis præparandis, inque aggeribus conſtruendis pro tanti draconis incitato curſu ad Vrbium maximam inuadendam auuerruncando. Quapropter dum communem ſapientiſſimorum Principum, & Rerump. diligentiam in iſto per fomitem auertendo, euitandoque contagio, tum ante Peſtis aduentum commercium prohibendo, tum eadem graſſante morbida corpora ab incolumibus ſegregando contemplor, non poſſum non admodum admirari opinionem quorumdam alioquin doctiſſimorum virorum, qui aduerſus communem Medicorum ſcholam, & Principum ferè omnium vnanime decretum; immo aduerſus experientiam ipſam, ſi non omnino inficiari tale contagium, infirmiſſimam ſaltem habere efficaciam, affirmare audent. & quod maiorem admirationem parit, negantes iſti præſens peſtilitatis genus, quod modò per Italiam graſſatur inde originem ſumpſiſſe, & propagationem recipere, diligentias prædictas tamquam inutiles vituperant, commerciorum prohibitionem veluti humanæ Reipubl. pernicioſam condemnant, & Lazaretorum inſtitutionem tamquam infirmorum carnificinam accuſant. Sed quæſò videamus ſi quas habent rationes, vel vt melius dicam

va-

vana contortaq; ſophiſmata. Magnus vniuerſaliſq; morbus, inquiũt, vt Peſtis eſt non aliunde, quàm à magna, vniuerſaliq; cauſa originem trahere valet, ac dependentiam; tale profectò non eſt contagium per fomitem, vt potè in minimo induſio, in exiguo pannulo, aut alia conſimili vix aſpectabili re ab illius aſſertoribus conſtitutum; à tali igitur efficacitate ablegandum, & à cauſarum Peſtis catalogo remouendum. Præterea quomodo explicabile, ac multò magis credibile eſt, in inſenſibili corpore, in emortua materia, tam diù latere labem illam veneficam, & ab ea tot homines, tot Ciuitates, tot Prouincias infici, ac irreparabili modo labefactari? Inſuper quis non videt, ſi hoc verum eſſet, maiorem deberi populorum ſtragem excitari in fine huius Contagij, & Peſtis inde prouenientis, quàm in principio, cùm minus diſſeminatum illud eſt, atque expanſum? Veriſimile ſiquidem eſt ab initio quãdo fomes peſtifer in paucioribus reperitur; pauciores etiam debere mori, quàm in fine, quandò vndequaque ſeminaria illa contagionis diſperſa ſunt, & nullus ferè non eſt, vel locus, vel homo in quo ea non reperiantur intruſa; & nihilominus multi, in principio cuiuſcumque peſtis, & huius præſertim, de qua noſtra eſt conſideratio, commoriuntur, plures in augmento, quam plurimi in vigore, & pauci valde in fine, & declinatione; cum tamen eo maior deberet eſſe intereuntium numerus, quò maior eſt contagionis extenſio; quæ cum in fine magis, quàm in alio quocumque tempore latius vigeat, tunc quoque valdè latius deberet mors ſua imperia exercere; eo vel magis, quòd cum ex putredine oriatur contages; & putredo ſit motus naturalis, vt Auerr. docet; iſque ſit in fine velocior, quam in principio, velocior quoque deberet eſſe, atque ſæuior eius

tunc

tune progreſſus, & impetus, quod tamen nec accidere cõperitur, & ſi accideret nullus vmquam peſtilentijs finis imponeretur; niſi omnibus emortuis, ac de medio ſublatis hominibus. Vlterius ſi contagium per fomitem vnà ſimul cum alijs contagionis ſpeciebus poſſet eſſe cauſa ipſius peſtis, ſemper Germania, Gallia, aliæque conſimiles Regiones eſſent à peſte contaminatæ, cùm ibi frequenter tale contagium reperiatur; quod tamen nequaquam contingit: eo quòd facillimè, & quàm citò talibus in locis contages obtruncatur, atque vix nata extinguitur, vel vlterius ſerpere impeditur; quia nimirum alia non accedit vniuerſalior cauſa, & ſolum contagium non eſt ex ſe ſufficiens ad peſtem, morbum vniuerſalem, & communem, generandam, ampliandamque. Et ideò cognoſcentes hoc perſpicaces illi populi, nec mutuas conſuetudines, atque commercia prohibent, nec infectorum rigoroſam, vt noſtri, ſegregationem conſtituunt, ſed nulla ferè habita cautela ad euitãdum id, quod perinde quaſi ac mortem ipſam auerſamur nos Itali, ſolo contenti ſunt neſcio quodam ſigno ſuper ianuas contaminatorum impoſito, & ſimplici baculo colore aliquo oblinito ab ijs deferri ſolito, qui vel infectionem habent in ſe, vel infectis deſeruiunt; vt qui vult, poſſit illorum acceſſum, iſtorum verò conſuetudinem euitare. Ad hæc cùm non ſit maior ratio quò ad eſſentiam de contagio quando apprehendit vnum, ac cùm tangit multos: ſi quando tangit multos facit peſtem, ergo etiam quando vnum ſolum, vel duos, vt ab initio accidit; ſed hoc eſt falſum, cùm eo tempore non ſit morbus vniuerſalis, ergo falſum etiam eſt, popularem morbum, & pernicioſum ab eo poſſe generari, & produci. Præterea ſi ab huiuſmodi cauſa peſtis hodierna proueniret, quomodo fieri poſ-

 ſet,

ſet, vt quis è Lazaretis ſanus egrederetur ? vbi maximè viget peſtilens fomes? ac qua ratione contingeret, vt cum iiſdem veſtimentis cum quibus infectus quis ad talia loca proficiſcitur, ſanitati reſtitutus, domum propriam regredeatur? vt omiſſum faciamus tot veſpillones, & miniſtros incolumes permanere vndequaque ab huiuſmodi fomitibus circumſeptos. Alia ergo perquirenda, recognoſcendaque cauſa eſt tanti mali, quæ communis ſit, & cum morbo vniuerſali proportionem obtineat, quam proportionem cum reperire non liceat iuxta Hipp. doctrinam in lib. de Nat. Hum. & de flatibus, niſi in aëre, hinc oritur, vt illum non aliarum ſolum peſtium, ſed huius præſertim, quæ in multis Italiæ Regionibus debaccatur, effectorem conſtituant. Vel ſcilicet quia ſit in proprijs qualitatibus à naturali ſua, & humanæ naturæ conuenienti ſympaticaque temperatura commutatus, vel quòd veriſimilius credunt ab nullam in ipſo apparentem exoticam alterationem, quia à Cæleſtibus Orbibus, vnde omnis virtus noſtra regitur, ac gubernatur, vt magnus Ariſtoteles pronuntiauit in Metheoris, maleficam recipiat qualitatem hominibus infenſam, & ijs præſertim, qui hoſtilibus prauè influentium ſyderum radijs è directo percutiuntur, quales vſque adhuc extitere quàmplurimi Ciſalpinam Galliam, atque Aemiliam, & Hetruriam incolentes. Neque ſine probabili ratiocinio id contigiſſe aſſeritur, cùm anno 1628. eclypſis ☽ fuerit obſeruata, in cuius erecta figura Saturnus angulum malè occupans peſtem minitabatur, vt ex Aſtronomorum monumentis, & præſertim ex Ptholom. in ſecundo Quadrip. elicitur; ex quibus forſan alias ſyderum connexiones, & aſpectus ab hominibus, idẽ malũ portẽdentes obſeruatas fuiſſe, non deerunt, qui affirment. & ſi ij deſunt obſerua-
to-

tores, non deficiunt ſaltem manifeſti morborum euentus hanc obſcuram, & prorſus abditam,& arcanam in aerem à Cælo qualitatem introductam, demonſtrantes: quandò vt ſæpiſſimè audiuimus, in ſingulo quoque primo lunę quadrante contagioſus iſte morbus vehementius inualuit, & plures, quàm alio tempore, ſi infirmi erant interfecit, ſi verò ſanitate fruebantur, infecit: euidentiſſimum inditium huiuſce morbi depēdentiam non aliunde, quàm ab aere aſtralium viriū delatore ſuam trahere originem. Quapropter huius tantum habendam eſſe rationem exclamant, nec cum tanto hominum detrimento prohibendas eſſe Ciuitatum, ac ciuium ad inuicem conſuetudines, & commercia. Veruntamen quibuſcumque non obſtantibus, falſam omninò exiſtimamus huiuſmodi opinionem, tamquam chimæricis fundamentis innixam: veriſſimam è contra communiorem ſententiam veluti non rationibus ſolum firmiſſimis, ſed experimentis innumeris ſtabilitam. Quæ experimenta, etiamſi omnis ratio deficeret, cuicumque deberent perſuadere veritatem iſtam; cum vituperabile ſit, & intellectus quædam infirmitas, rationem quærere, & ſenſum dimittere, vt Ariſtoteles in octauo Phyſ. & primo Cæli affirmat. Manifeſtat autem ſenſus ipſe contagionis in hac efficienda Peſte principatum; quando nulla eſt ciuitas, nullum oppidum, nullus vicus, immo nulla domus, quæ ſuæ cladis initium, & propagationem non à contagio recognoſcat. Quod contagium, qui potuit, aut ſciuit euitare, euitauit etiam lethalem inquinationem; vt aliquibus contigit Ciuitatibus, & alijs locis coinquinatarum Regionum, atque integris familijs in Vrbibus, & caſtris ab huiuſmodi lue oppreſſis degentibus: quæ intra propriarum ædium cancellos, ab omni ægrotātium conſuetudine remotam vitam degen-

tes, ſeſeque à contagio fomitis, & contactus diligentiſſimè cuſtodientes, immunes à populari labe extitere, nullamque contraxerunt ab vniuerſali clade vulnerationem; & ſi aliquæ in communem calamitatem incidere, æquè ac alij propriæ indiligentiæ acceptam referunt. Si ergo nullus non negat veritatem iſtam, & quilibet ſuæ calamitatis originem ab impertita per contagium infectione, vel ſuæ incolumitatis præſeruationem ab adhibita diligentia in contagione vitanda, & auerruncanda, vt Ferrarienſibus præcipuè accidit, qui bis in ſuam Vrbem ſubingreſſam hanc feram obtruncarunt, recognoſcit; quare aduerſus communem hominum ſenſum, ac vniuerſalem approbationem, debent contagij iſtius efficacitas, atque energia denegari, & eius loco per aerem volitantia acuminata miaſmata perquiri? An falſitatis inſimulabunt tot ſapientiſſimos Principes, tot prudentiſſimos Magiſtratus, tot doctiſſimos Medicos, tot demum ingenuos cuiuſcũque ſortis homines, qui veritatem hanc obſeruarunt, cognouerunt, & vt vulgò dicitur manu tetigerunt? Nequaquam profectò deberent, eo vel maximè, quòd vniuerſalis cauſa huius peſtis ab aduerſarijs, vel allata, vel afferenda ſubſiſtere minimè valet, vt præter experientiam ipſam variæ etiam rationes, & ſolidiſſimæ coniecturæ perſuadent. Non enim potuit eſſe caritatis annona, vt multi putant, quia hæc valdè maior alijs temporibus viguit, quàm præſenti anno; & in multis locis, vbi nullæ fuerunt de alimentorum, vel quantitate, aut qualitate quærelæ, non minori ſæuitie debaccata eſt, ac debaccatur peſtilitas iſta, quàm eo loci vbi aliqualis extitit commeatuum, ac cibariorum, pationumque defectus. Non etiam aer conſtituendus venit calamitatis huius fons, & origo, quia in eo minimè viſa eſt continuata aliqua præternaturalis

in-

intemperies, & præſertim calida, & auſtrina, quam præ reliquis ad peſtem progignendam accomodatiorem communis tradit cum Præceptore Hippocrate Aſclepiadarum conſenſus. non præterea viſus eſt nebuloſus, aut turbidus aer, ſed potius ſerenus, & vndequaque temperatus, atque ad producenda, conſeruandaque animalia, non deſtruenda aptus, diſpoſituſque. & ſi quæ forſan alicubi illaudabilis viguit conſtitutio, profectò non vbiq; talis, vel viguiſſe, aut vigere fingi poteſt: cùm tamē ex aduerſo nullus non ſit locus, ſiue in montibus, & collibus, ſiue in planitie, & conuallibus poſitus, ſeu ad Auſtrum, vel Aquilonem, ſeu ad Orientem, vel Occidentem conuerſus, in quo ſi optima non adfuit cuſtodia, peſſima non ſit introducta epidemia. An dicent per aerem occultam quandam, & prorſus arcanam qualitatem à cœleſtibus orbibus fuiſſe diſſeminatā, eaque mediante humorū putrefactiones in hominibus excitare, peſtem efficere, & vitali auræ extinctionem moliri? Subtiliſſima reſponſio, ſed naturali Philoſopho, cui ad cæleſtia eos non conuenit effectus reducere, quos in ſublunaria poſſit referre, parum digna. Quamuis enim reperiri nonnumquam poſſe qualitatem hanc in aere non negauerim; quæ tamen eſt ratio cur hac tempeſtate huiuſcemodi qualitas, quam per vniuerſum aeris corpus diſperſam ęqualiter eſſe veriſimile eſt, magis hunc, quam illum apprehendat, magis vnam regionem, quàm aliam, & in ea regione multas inficiat ciuitates, & villas, aliquo, vel Caſtro, vel ſuburbio illęſo remanente? immo cur in eadem Vrbe Monaſteria relinquit intacta, plures domos benè cuſtoditas tametſi inter inquinatas non ferit? atque tot infirmorum miniſtros inuadens, eos ſolum qui à longè conſiſtunt, non attingit? An fortaſſe dicent non fuiſſe in monialibus illis, & alijs conſimi-

mi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

milibus ob magis accuratum viuendi modum, diſpoſitionem ad huiuſmodi morbum contrahendum? ſed hæc etiam reſponſio difficultates non tollit: pręterquamquod enim veriſimile nō eſt, in omnibus ad vnum talem adeſſę ineptitudinem, cur ea tantummodo in ijs præſertim animaduerſa eſt, ſiue Religioſis, ſiue alijs, qui à contagionum periculis ſęmoti, popularibus calamitatibus ſeſe non immiſcuere? Profectò, vel ratiocinio prędita eſt qualitas iſta, vt potè quę parcere voluerit benè cuſtoditis, alijs verò quamuis ſub eodem cælo, & in eadem via habitantibus, quia non fuere tam cauti, ignoſcere neglexerit; vel alia conſignanda venit effectus huius manifeſtior, ac rationabilior cauſa, videlicet contagium; eo vel maximè, quòd aduerſariorum argumēta eius efficaciam minimùm proſternunt. Primum namque argumentum perbellè concluderet, ſi de effectu vniuerſali, & vniuerſaliter vt ità dicam, & ſimul producto, non particulariter, & ſucceſſiuè noſtra eſſet locutio; quia re vera inter cauſam, & effectum proportio debet intercedere: modò peſtis hæc non fuit ſimul, ac in eodem inſtanti, & tempore in plures homines, ac vniuerſum populum introducta, ſed paulatim ab vno in alium ſucceſſiuè propagationē recipiens actualem vniuerſalitatem acquiſiuit; eiuſque propterea cauſa, videlicet contagio, vniuerſalis dici poteſt, non ſecus, ac paruus ignis cùm paulatim ſerpēdo vniuerſam ciuitatem comburit, ac vnà morbida facta pecus, dum totum corrumpit ouile, & cum ad vnius militis ſtationem, vt ex ſecundo Poſter. cap. vltimo elicitur, omnis ſtat militaris turba, & exercitus. Non ergo inconuenit à particulari principio, quod vires acquirit eundo, vniuerſalem produci effectum, & à minimo cōtagionis fomite peſtiferum ignem poſſe accendi, vt pluries accenſum eſſe memoriæ

tradiderunt celebratiſſimi auctores. Ab araneæ enim tela peſtilentibus fomitibus imbuta, & ſuper manum cuiuſdam viri deciſa, non ne ſcribit Foreſtus in Belgio fuiſſe excitatam peſtem? & ex cōtrectata chorda, qua peſte necatorum cadauera ad ſepulchra deferebantur, non ne ait Trincauelius fuiſſe Iuſtinopoli peſtilētiam valdè atrocem exortam? vt eam omittam, quam Venetijs ſubpullulaſſe ſcribit Alex. Benedictus ab culcitram tempore peſtis infectam, & ſeptennio poſt in vſum reuocatam, aliaſque nō paucas, quæ à particulari radice ortum traxere ſuum, vt ea fuit quam Liuius ex matronarum veneficijs, & Dio ex venenatis acubus in Romanos inuectā fuiſſe narrāt, quæque Venetijs olim fuit excitata, vt Greuinus, & Cardanus referunt, à ſceleſtiſſimis quibuſdam hominibus hoſtium anulos venefico contagioſoque liquore illinentibus, vt etiam hoc anno apud Mediolanenſes, & non multò ante apud Lugdunenſes ſaltim quo/ad propagationem accidiſſe comperimus. Neque inexplicabile, aut incredibile eſt, veluti ſecundum ſupponit argumentum in inſenſibili aliqua, ac inanima materia, poſſe labem hanc virulentam cōſiſtere, & in plures, ac propemodum infinitos homines propagari; quia etiam odores, fœtores, fumus ad plures annos in accomodata materia latitant, & conſeruantur; Et quod de propagatione ſubiungitur veritatem haberet, ſi tranſitus ſolum de pāno in pannum, & ab inanime ad inanimatum corpus, non autem à fomite in hominem exerceretur. Primo ſiquidem modo vires progrediendo amitteret venenum illud; vèrùm in homines incidens fermentationem recipit, & ſi quas perdiderat vires iterum colligit, reaſſumitque; immo adeò illas reaſſumit, vt niſi Principum diligentia ſubtraheretur materia, vel ab aliqua extrinſeca cauſa ſeminaria illa extinguerētur, num-

quam

quam finem reciperet eius impetus: Et vt optimè concludere videtur tertia obiectio, multò plures perirent quando propè finem quatuor millia hominum v. g. laborant, & latius diſperſum eſt contagium, quàm ab initio cum pauciores ægrotabant, & anguſtis terminis detinetur venefica labes; quod tamen nequaquam cõtingit; non quia aëris praua conſtitutio ceſſauerit, cùm numquam ad fuerit, ſed quia vt ait Cardanus cacochimis, & debilioribus corporibus ab initio Peſtis de medio ſublatis, fortiores remanent homines, & ad labem contrahendam, illiq; ſuccumbẽdum ineptiores; vel quia cœleſtis aliqua virtus aut aliud potentiſſimum agẽs miaſmata diſpergit, & corrumpit, vt de peſte Cairi refert Proſp. Alpin. & Io. Leon. quæ Sole Leonis ſignũ occupãte, euaneſcit, vel quia ſubtractio pabuli, & cõtaminatarum rerum combuſtio vlteriorem progreſſum remoratur. Ex quo emanat, vt Doctiſſimus Mercurialis animaduertit, vt his temporibus nõ multum perdurent peſtilentes conſtitutiones; ſecus ac retroactis ſæculis contingebat, quando ob contagionis per fomitem non perſpectam naturam, ac proinde non ſubtractam, aut expurgatam inquinamenti materiam, vt nunc fit, ad plures annos latiſſimè diuagatæ incredibilem hominũ ſtragẽ efficiebãt. Quapropter nihil prorſus concludit ratiocinatio iſta, vt parũ etiam roboris quæ quarto loco proponitur in ſe continet: Galli enim, Germani, Angli, Aſiatici, & ſi qui alij populi ſunt nõ adeò, ac Itali contagionem pertimeſcentes, vel ſub climate degunt, & cœli temperatura, qualis frigida eſt, & ſicca, ad peſtifera miaſmata, & eorum matrem putredinem effugandam accomodata; vbi proinde quamprimum refrangitur eius impetus abſque tot cautelis in Italia magis calida, & humida adhiberi ſolitis, vel proprię incuriæ pœnam dantes,

con-

continuam in ijs locis vbi nulla adhibetur custodia pestem experiuntur; eam tamen, vel ob acquiſitam cum tali veneno conſuetudinem leuioris energiæ, & malignitatis, quàm in alijs locis, vbi exotica eſt talis fera, & prorſus ignota; vel ex ſola putredine enatam, quæ tàm feraliter contagioſa non exiſtit, vt hæc noſtra, quam omnium peſſimam ſubtiliſſimus Cardanus agnoſcit, & buboniam appellat lib. de Prouidentia ex Anni Conſtit. vbi eam diſtinguit à peſte, quæ ex putredine cibariorum, & ab ea, quæ ab aëris vitijs ortum ducit, cuius generis eæ ſunt, quas vt plurimum iam enarrati populi perpetiuntur. Quintum præterea argumentum futile quoque, ac vanum exiſtit; quia tametſi nomen peſtis videatur ſignificare illum tantummodo morbum, qui mortiferè quamplurimos apprehendit, non propterea tollitur, quin labes illa, quæ vnum, vel paucos exitioſè afficit, & multos taliter afficere apta eſt, peſtis nomen non mereatur, cùm habeat ſummum pûtredinis gradum, & communicabilis ſit, quamuis actualiter non communicetur, vt Doctiſſimus Cæſalpinus olim huius almi cætus collega, alijque viri clariſſimi animaduertunt, quemadmodum ſpecies ſolis ex Philoſoph. ſentẽtia etſi in vno indiuiduo conſiſtens vniuerſalis eſt ob aptitudinem, & homo quamuis non rideat riſibilis eſt, atque arbor quæcumque iam primum expullulans arbor eſt, licet non perfecta, & omnibus numeris abſoluta. Galenus autem, & alij Medicinæ Proceres cum ipſo peſtem definientes, non incipientem, ſed iam factam deſcripſerunt; & proinde nihil concludit argumentum. Quòd demum contra noſtram, ac communem hominum ſententiam in medium affertur, quamplurimos nempè inter tot contagionum fomites immunes in Lazaretis perſiſtere, veluti prorſus falſum reijcitur, vt

D ex-

experientia manifeſtat non ſolùm in veſpillonibus, & alijs miniſtris, ſed in ipſiſmet Medicis, & Chirurgis, in quos nõ minus, ac in alios erumpit clades, & mors implacabiliter debaccatur. Et ſi qui ſunt, qui illic vitam degunt incolumem, vel id prouenit ex bona eorum fortuna, ſecundum quam nacti ſunt temperamentum, ac naturam contrahendo veneno inhabilem, vt fuit Athenagoras quidam Argiuus, qui à Scorpionibus non lædebatur, & Mithridates Rex, cui venena minimè aduerſabantur; vel ex eorum numero extant, qui peſtem perpeſſi, ſanitatique reſtituti, ob expurgationem illius humoris, qui habebat analogiam ad peſtiferum venenum, ineptiores ſunt redditi ad eam iterum contrahendam. An validius erit, quòd pro aere adſtruendo huius epidemici morbi cauſa ab Eclypſi petitum eſt argumentum, & à Lunæ Quadraturis deſumptum? Nequaquam, nam ſi omnes ſupputentur Eclypſes ſpatio centum annorum ſubſequutæ, earum aliquas peiores valde, ac magis peſtem minitantes inuenire fas erit; à quibus tamen in quamplurima loca, vbi nunc fera iſta graſſatur nequicquam mali introductum eſt. Quod verò de Lunæ quadraturis ſubiungitur, humores tantummodo illinc commotionem aliquam recipere, non autem primam labis infectionem deſumere, perſuadet: Quod vt rationi congruum eſt, ob Lunæ in humida corpora prædominium, vt etiam in alijs morbis à quacumque cauſa ortis conſpicitur, ità nihilum contra noſtram opinionem, qua aſſerimus labefactionis ſeminaria aliunde prouenire, comprobat, concluditque: vt nequaquam concludere exiſtimo, quòd ex Hipp. aſſerente morbum vniuerſalem pendere ab aere, qui eſt cauſa vniuerſalis, affertur; quia etſi talis auctoritas tantum potuerit apud multos præclaros viros, & præcipuè Altimarum

Tomitanum, Ingraſſiam, Oddum de Oddis, & alios, vt quemcumque morbum tametſi communiſſimum, & perniciosiſſimum peſtis nomine inſigniendum negauerint, dũmodo ab aere non oriatur, tamen quia liber ille ſecundus de Natura Humana, vt etiã lib. de flatibus tamquam Hippocratis genuinus à Galeno non reputatur, & ea propoſitio nimis anguſta ab eodem exiſtimatur, ideò argumentum tamquam inualido fundamento innixum parum nihilve afficit. vt ea omittã, quę in reſpõſione ad primum argumẽtum allata fuere, poſſent huic obiectioni pleniſſimè ſatisfacere. Ex quibus non ſolum patet, quàm temere noſtrorum Principum diligentiæ in commercijs cum infectis populis prohibendis, & in Lazaretis inſtituendis vituperentur; quippe quæ peſtiferi ignis concitatum curſum remorentur, eiuſque progreſſum quantum humanæ permittunt vires retardẽt, ſed etiam vnde haurienda præſeruatio ſit à tam diro, tamque inexorabili affectu, videlicet poſt Deum Optimum Max. ex diligentijs adhibendis in euitatione contagij, & extirpatione peſtiferi illius fomitis, in quo tam atrox venenum fouetur, ac conſeruatur; quæ profectò diligentiæ, ſi hæc peſtis ab aere, non à contagio oriretur, vanæ ferè eſſent; & quaſi inutiles; omniſque impendenda cura eſſet, ac diligentia in aere corrigendo, & ad antiquã ſimmetriã, & puritatem reducendo; cùm ex aduerſo in noſtro caſu aeris tantummodo habita ratione in illis locis, vbi peſtis, & contagium ſæuit pro infectione, quæ ab ægrotantium corporibus, & mortuorum cadaueribus oriri augerive poſſet auerruncanda, omnis pro præſeruatione Scopus in contagionis fuga conſiſtit, & noſtrorum corporum expiatione ab alijs humoribus, & excrementijs ſuccis, qui ad concipiendam putredinem, & venenatam labem reci-

 pien-

piendam aptiores exiſtunt. Quibus quidem Scopis partim attinet ad Principes ſatisfacere, partim ad ſubditos. Ad Principes nempè Regionum, ac Ciuitatum integrarum confinia, & ſubditorum corpora in antiqua incolumitate inculpatis alimonijs conſeruare; ad ſubditos verò, & priuatos homines ſuperiorum decretis religioſè obtemperare, infectos, & infectorum ſupellectiles aufugere, & optima inſtituta victus ratione repletionem, ac inanitionem declinare, &, ſi vlla adeſt humiditatis redundantia, eam à corpore remouere, & iuxta Gal. præceptum in primo de Diff. Febr. eius loco moderatam ſiccitatem introducere. Id quod, vt alia omittam, auxilijs deſumptis à tribus Medicinæ fontibus Diæta videlicet, Chirurgia, & Pharmacia obtinere non erit perdifficile. A Diætetico namque fonte addiſcent quis eligendus aer, quomodo in cibis, & potione aſſumendis ſe gerere debeant, qua ratione exercitia ineunda, & quieti indulgendum, quantum, quomodo, & quando dormiendum, vel vigilandum, quibus rebus ad communia deponenda excrementa, aut tardior proritanda natura ſit, aut velocior compeſcenda, & qua demum via animi paſſiones vel proſequendæ veniant, vel fugiendæ. A Chirurgico poſtea fonte hauriemus ea præſidia, quæ ſanguinis abundantiam tollere, quæue humorum impetum, & morboſam inclinationem ad nobiliores partes valent infringere, & ad viliora loca humorum onerantium receptioni quandoque deſtinata, auocare; qualia præcipuè ſunt cauteria, ſetones, & veſſicantia nuncupata. Ex Pharmacia demum, quæ non offeruntur remediorum numeroſiſſimę phalanges? hinc enim deſumuntur non ſolum ea præſidia, quæ aut leniendo, aut radicitus expurgando humores per ſeceſſum deturbant, vel per ſudorem, vrinam, vomitum, inſenſibilemque tran-

ſpi-

ſpirationem, alioſque modos euacuant, ſed quæ inſuper viſcera corroborant, & venena; venenatamque putredinem naturali antipathia oppugnant. De quibus omnibus ex Medicina per huiuſmodi tria inſtrumenta ad hominis præſertim vtilitatem deriuantibus, longum eſſet, ac fortaſſe ſuperuacaneum velle nunc pro materiæ de qua agimus neceſſitate diſſerere, eo vel maximè, quòd apud peritiſſimos viros pertractationem habeo, & quæcumq; pro peſtifera euitanda labe deſiderari poſſunt, iam habuimus ante actis diebus ab Eruditiſs., Doctiſſimoq; Viro huius Almi Gymnaſij Medicinæ Practicæ eximio Profeſſore D. Vincentio Alſario Crucio ſub Methodicæ Prouidentiæ titulo euulgata. Quapropter mihi ſat fuerit aliqua maioris momenti, ac non minus ab experientia, quàm à ratione ad hoc declinandum contagium vtilia, vel ſaltem non inutilia comprobata, quàm breuiſſimè indicare: dico autem non inutilia, quia præter cuſtodiam adhibitam in euitanda languentium conſuetudine, atque eorumdem ſupellectilium fugam, vix quidquam repertum eſt ad hanc vſque diem, quod vtilitatem notatu dignam, vel ad præſeruationem, aut ad curationem huius atrociſſimi affectus attulerit; immo quod peius eſt multa alexipharmaca maioris exiſtimationis, tam interna, quàm externa, & eorum omnium celebratiſſima Theriaca; vana non tantùm à multis ſunt deprehenſa; ſed noxia valde, & inſalubria, vt in multis præcipuè ex excellentiſs. Medicis Bononien. ad Lazaretum omni medicamentorum genere communitis adeuntibus, & citius forſan quàm alij multi inermes illuc tranſmiſsi, obeuntibus, apparuit. An forſan, quia theriacalia iſta remedia, & inunctiones ex ol. Magni Ducis, ex ol. Matthioli, & huiuſmodi cùm calida ſint, potuerunt obeſſe magis conſpicua hac

qualitate, quàm occulta innominataque virtute, ſecundum quam creduntur aduerſus venena digladiari? ideoque efficaciora deprehenduntur hyemali hoc tempore, quo frigiditas viget, quàm præterita æſtate, quando calor, & ſiccitas dominabantur? Habenda ergo ratio non veneno ſitatis tantummodo, ſed temperamētorum quoque particularium, conſtitutionis aeris, anni temporis, & conſimilium, quæ in aliorum morborum præſeruatione, vel curatione inſtituendis, conſiderantur. Sed Victus ratione omiſſa, à Chirurgia incipientes, clarum eſt in plethoricis corporibus, et vbi sāguinis exceſſus, vel etiam exiguus adeſt, phlebotomiam conuenire, ad eam materiam imminuendam, cui virulenta contagionis ſeminaria poſſent facilius adhærere; quandoquidem ſicut non negandum eſt, ea etiam in ſaniſſima corpora ſubintraſſe, ità concedendum pariter eſt in illis hominibus magis inſæuiſſe, in quibus maiorem inuenit diſpoſitionem ad venenatam labem, & putredinem concipiendam, & eorum aliquos dereliquiſſe intactos, vt potè naturam obtinentes ad hoc recipiendum contagium minime habilem, idoneamque. Scimus enim ex Peripateticorum Principe, ac vniuerſa Philoſophorum ſchola non quodlibet agere in quodlibet, & actiuorum actum in ſubiecto bene diſpoſito celebrari. Quamobrem non inutile eſt aliqualem ſanguinis portionem extrahere ſiuè ex brachio, ſiuè ex venis hemorroidalibus, aut etiam per cucurbitulas pro vt Medico inſtituenti magis oportunum, atque conueniens videbitur. De cauterijs adhibendis nemo eſt, qui dubitet, dum experientia aliàs demonſtrauerit, & nunc contrarium non oſtendat, proficua admodum pro præſeruatione fuiſſe, aut ſaltim non infructuoſa. Vtilia autem audiui fuiſſe veſſicantia in inferioribus corporis

par-

partibus, & præſertim propè inguina applicata, quibus medijs, vt à viris fide dignis audiui Medicus quidam Lucenſis ad Lazaretum deſtinatus immunem ſe reddidit ab ea contrahenda labe, quam declinare alij non potuerunt, niſi ſtamneum quoddam, vel coriaceum tegumentum ſupra faciem geſtantes continuò quaſi perſonati incederent, quod cum Medicus ille, ſuffocationem inde perſentiens, atque extimeſcens præſtare non poſſet, excitatis vlceribus, (vnde ſi quæ accederent contagioſa ſeminaria foras eijcerentur) ac perpetuo dolore voluit potius ſe affligere, quã ineuitabili penè morti ſe exponere. Setones etiam in ſcroto excitandos non deſunt clariſſimi auctores, qui ad hunc finem commendent; at nihilominus remedium hoc ſua natura dolorificum, ac per cõſequens quaſi intolerabile experientia ipſa in hac præſenti calamitate tamquam pernicioſum reiecit. quippe incurabilia vlcera inde prouenere, inflammationes, cancrenæ, mors ipſa. Cæterum dum de Chirurgicis adhibendis præſidijs cogitatur, omittendus non venit pharmaceuticorum remediorum vſus, immo cum illis indiſſolubiliter coniungendus: atque ideo, vel ante ſanguinis miſſionem, vel ſubſequenti die lenitiuum aliquod medicamentũ exhibere conducit, & ab ipſo proportionata præparantia, eorumque munere abſoluto catharticum pharmacum electiuè ſuperexcedentes ſuccos deturbans; non quidem è metallicorum genere, vt ſunt pillulæ arſenicales, mercuriales, antimoniales, & huiuſmodi à nonnullis in hoc caſu tametſi violẽtiſſimæ mirũ in modum commendatæ, ſed potius ex vegetãtium domeſtica ſilua depromptum, vt præcipuè ſunt rhabarbarum, agaricus, thamarindi, triphera perſica, pillulæ Ruffi, & huiuſmodi. Quorum adminiſtrationi ſuccedant poſtea ea medicamenta, quæ

cor-

cordialia dicta ſiue interna ſint, ſiue externa, ne dum venena oppugnare, & cor ipſum à quacumque venefica labe conſeruare illæſum, ſed vitali auræ non mediocre robur conciliare creduntur. Quæ quidem medicamenta, etiam ſi vniuerſo penè medicorum aliorumque hominum conſenſu pro præſeruatione à quocumque veneno, & peſtifera lue commendentur, reuocenturque in vſum, non deſunt tamen qui ea vituperare, ac tamquam non parum noxia in huiuſmodi caſibus reprobare præſumant, eo præſertim fundamento innixi, quod lib. 5. de ſimpl. med. fac. & 6. in 6. epid. ſcribat Gal. alexipharmaca auxilia eſſe media inter venena, & corpora, & propterea ſicut proſunt venenis, pari pacto ſanis corporibus obeſſe. Verumtamen cum idem Gal. lib. de Ther. tum ad Piſon. tum ad Pamphilianum, & lib. 1. de Antidotis, & cum eo Auic. lib. de Viribus Cordis, atque celebriores alij Medici illa amplectantur, nequaquam timendum eſt ab eorum vſu, niſi forſan in magna quãtitate exhibeantur, vt idemmet Gal. loco citato 6. epid. com. 5. animaduertit, qua ratione exhibita theriacalia medicamenta, & ipſamet Theriaca ob ſummam eorum actiuitatem veniunt tempore ſanitatis improbanda, minime vero in pauca, & exigua quãtitate; nam ſi ex eorum numero ſint, quæ vel nutriendi inſimul facultatem habent, vt citrum, acetoſa, & huiuſmodi, vel ſaltim parum actiuitatis poſſidentia præparandi tantum, ac corroborandi corpus, inſimulque veneni vires infringendi vim obtinent, vt lapis bezaar, margaritæ, terra lemnia, terra ſigillata, bolus armena, & conſimilia cardiaca medicamenta, innoxiè etiam in magna doſi propinari poſſunt, vt inter alios præclarè diſtinguit Eruditiſſimus Mercurialis lib. de venenis, vbi arduam hanc difficultatem examinat, ac diſſoluit. Quamuis

uis autem præſidijs iſtis non parua efficacitas concedatur ad arcenda venenata miaſmata, atque cor ipſum corroborandum præſeruandumque contra illorum inſultus; attamen in illis adhibendis non ſolum penſitanda quantitas eſt, iuxta allatam diſtinctionem, ſed inſuper aduertendum, ne exhibeantur corporibus impurgatis, ac ſine vlla habita conſideratione ad aſſumentis temperamentum, ætatem, corporis habitum, anni tempus, aëris conſtitutionem, & huiuſmodi: quandoquidem ijs exhibita, quorum corpora vel prauis, vel exuperantibus ſuccis abundant, tales poſſunt humores ad cor deducere, ibiq; non mediocres obſtructiones cum magno valetudinis detrimento excitare; & ſine vlla habita conſideratione ad ea, quę diximus propinata loco vtilitatis magnam noxam afferre, vt multis audio contigiſſe hominibus, qui hac præterita æſtate ſeſe adimplentes pillulis Ruffi, Theriaca, deſtillatis varijs, & alexipharmacis calidioribus; & conſimilibus oleorum generibus ſe illinientes, citius valde, & magis irremediabiliter à contagione ſunt apprehenſi, ad interitumque deducti; quemadmodum illis ex aduerſo euenit, qui vel temperatis cardiacis vtentes, vel calidioribus cum refrigerantibus benè commixtis, fęlicius aliquantò ſe præſeruarunt. Et ideo ex tot, ac tantis remediorum generibus aduerſus hanc belluam excogitatis, atque propoſitis, & apud rei Medicæ authores memoriæ traditis, ea ſeligenda veniunt, quæ vel temperata exiſtunt, vt conf. hiacinthina, lapis bezaar, terra ſigillata, cornu Cerui, cornu Monocerontis, acetoſa, ſemina citri, & huiuſmodi, vel ſi nimium ad caliditatem vergunt, aut æſtiuo tempore omittantur, & ſolo hyeme reuocentur in vſum, vel cum conſeruis roſarum, violarum, florũ cichor, borraginis, ſeu aliquo ſtillatitio algido liquo-

E re

Digitized by Google

re commixta adhibeantur. Neque obſeruare id tantummodo oportet in medicamentis, quæ per os aſſumuntur, ſed in illis etiam, quæ exterius applicata vitalis auræ domicilium à contagionis periculis immune conſeruare poſſe exiſtimãtur, vt eſt ipſamet Theriaca, Mithridatium, ol. Magni Ducis, ol. Matthioli, ol. Communit. Ferrariæ, & conſimilia inunctionum, ac linimentorum genera, cum quibus laudabile ſemper erit, vel acetum roſ. vel aliquod ol. aut vnguentum refrigeratorium admiſcere. Quæ cautela in conficiendis etiam ſacculis cordialibus nuncupatis, & quibuſcumque alijs medicamentis huius ſortis debet præ oculis haberi, nec indifferenter quodcumque etiam celebratiſſimum præſidium reuocari in vſum. Sed quid de Arſenico, ac ſublimato, deque ſacculis ex illis, vel ſolis, vel cum alijs rebus fabrefactis, ac de argento viuo in auellanæ nucis putamine incluſo, & ſupra cor geſtatis dicendum? Non deſunt vtique remediorum iſtorum commendatores, & ij quidem non minus numero, quàm fama percelebres; aduerſus tamen hoc contagium eiuſque ſæuos inſultus vana prorſus ea, ne dicam noxia (de Arſenico ſaltem, & Sublimato loquendo) demonſtrauit experientia, quæ, vt iam ſupra innuimus, non aliud ſecurius comprobauit arcanum quàm contagionis longinquitatẽ; immo hanc ſolam ſecuram, cætera omnia lubrica valde, dubia, & incerta. Quia vero in ijs locis, vbi iam debaccatur contagium non omnibus licet ſe cuſtodire perfectè, & intra proprias domos longè à conſuetudine aliorum vitam degere; idcirco præſidijs ſaltem illis vtendum eſt, à quibus miaſmata inquinatorum, vel per contactum, vel ad diſtans, aut per fomitem ad corpora accedentia quantum fieri poteſt arceantur, refranganturque: cuius generis præter amuleta nonnulla ab antiquis celebrata,

brata,videlicet,hyacinthum, topatium,ſapphirum, agatam, rubinum, alicuius efficaciæ deprehenduntur exiſtere odoramina; & inunctiones ex ol. de Iunipero, vel de ſpica,detentio in ore ſulphuris crudi,& radicis gentianæ, dentifricia ex ſale,corallis,chryſtallo, cort.citri,irid. flor. maſtiche,cypero, cinnamomo, & huiuſmodi, quibus remedijs quoſdam Gallos hanc labem curantes apud Venetos ſe præſeruare audiui, ſed multo magis quædam telæ lineæ cera,& aceto roſaceo, ac pulueribus quibuſdam, & gummatibus alexipharmacis illinitæ, & ſuprà vultum, aliaſque corporis partes delatæ; itemque ſpongiæ eodem aceto imbibitæ,& circa os tunc præſertim detentæ,cùm apud ægrotos, & in eorum cubiculis, vel communibus Lazaretis commorari neceſſitas cogit. quo etiam tempore,immo tota vigente tempeſtate non inutile foret ſingulo quoque die,aut ſaltē per interualla aliquod aſſumere bezaarticū medicamentū,vt,vno die dracm. 1. pillularum Ruffi, in quibus ammoniacum, quod expellendi ad extra vim habet, includatur. altero lapidem bezaar cum aqua ſcorzoneræ. 3. die confectionem hyacinthinam. 4. bolum armenam cum conſerua de acredine citri. 5. parum theriacæ cum aceto roſaceo. 6. ius alteratum cum tormentilla,biſtorta, ſcabioſa, ſonco, & acetoſa; rotula vna,vel duabus manuſchriſti cum perlis, ſuperadditis, ſeptimo portionem alicuius alterius antidoti, vt electuarij de ſanguinibus, elect. de ouo Maximil. Imper. ſyrupi Angelici N. Maſſæ, antidotus Iacobi Ricci, & huiuſmodi.8.aliquod alicuius herbæ,aut mineralis chymicūextractum.9.Iulapiū Sereniſs.Magni Ducis Hetruriæ,vel quid ſimile, hoc modo circulariter procedendo in iſtis, & huius generis remedijs aſſumendis. Quod ſi etiam de ſero aliquid capere arridet, congruas puto conſeruas viola-

rum, roſartm, florum borraginis, radicum bugloſſæ, & huiuſmodi, ac præſertim conſeruam totius citri omnibus alijs hoc in diſcrimine vtiliorem repertam. In quibus tamen omnibus hæ debent obſeruari cautelæ, quas paulò ſupra in conſiderationem reuocauimus. Quoniam verò frequenter nimis contingit, vt humanæ eludantur diligentiæ, ac ſtudia, ideo non de præſeruatione tantum ſat eſt pertractaſſe, ſed de curatione inſuper neceſſarium eſt cogitationem inire, deque illis inueſtigandis argumentis, quorum vi tam inexorabilis mali acuties, atque malignitas quantum fieri poteſt obtundatur infringaturve. Quamquam enim peſtifera lues, vt ait Sauonarola, ex eorum malorum genere videatur eſſe, quorum curatio ſoli Deo eo modo reſeruata eſt, quo Summo Pontifici horrendorum quorumdam criminum abſolutio, & vt ait Pætus ad Artaxerſem ſcribens, veluti in Epiſtolis Hippocr. legitur, Naturalia auxilia peſtilentis morbi popularem graſſationem non ſoluant; nihilominus cum ipſemet Deus Medicinam de terra produxerit, & eam hominibus abhorrere prohibuerit, vt in Eccleſiaſt. habemus ipſaque medicamenta, vt dicebat Herophilus, referente Gal. 7. de comp. med. 5. loc. & Celſo in epiſtola ad Caliſtum, Deorum immortalium manus ſint, quia illud quaſi præſtare valent, quod diuinus tactus efficere poteſt: ac in noſtra poteſtate ſit, vt ait M. Varro 1. de Re Ruſtica c. 4. ea etiam quæ cælitus proueniunt, ſi non totaliter debellare adminus ſaltem reddere leuiora; idcirco nequaquam ſolo prognoſtico derelinquendi ſunt ęgri, ſed pro viribus ad mortem vſque ſolandi, & modo vno, modo alrero auxilio quouſque vera antidotus, ſi poſſibile eſt, reperiatur adiuuandi. Plurimæ enim inuentæ ſunt peſtilentiũ ſortes, quæ ſuum tandem alexipharmacum habuere, vt Ga-

le-

leni tempore modò fuit bolus armenus,modò Theriaca, nec non etiā apud Syrios puerorū virorumq́;vrina, ac eo tēpore quo M. Aurelius Imperat. in Parthos bellū gerebat,ac peſtis ſuborta eſt,vinū fuit,& oleum. Ex quibus patet nō omnino deſperandam eſſe ſalutem, atq́;vtile Thucydidis conſilium eſſe,aliquid agentes periclitari. quibus enim alia ſalutis ratio nō affulget, & quæ vnica videtur ea dubia eſt, neceſſum omnino fuerit aduerſis periculis ire; & quantò ſatius eſt aliquid nonnulla fiducia,vel cum periculo facere,quàm ſpe adempta certò perire;tantò vtique ſatius eſt potentibus præſidijs pugnare,quàm nihil agere. quia,vt latinus Hippocrat. admonebat, melius eſt anceps experiri remedium quàm nullum; id quod etiam Poetam non latuit dum inquit,Vna ſalus victis nullā ſperare ſalutē. Quia longè violentius ex neceſſitate quàm ex virtute pugnatur, & vt optimè monet Philo ille Hebręus Platonis genius tūc maximè plerumq́; Deus adeſt, cum hominum auxilia deſunt. Quapropter ad curationē accedentes per indicationes illas,quæ in tam abſcondito,atq́;obſcuro affectu hauriri poſſunt procedendo, illud in primis conſiderare debemus, num in corpore iam à cōtagionis ſeminarijs deprehēſo, communia alijs quoque morbis adſint, plenitudinem dico,cacochimiam,obſtructiones,& id genus alia, atque illis accommodata remedia præſcribere; deinde vero ad eadēmet ſeminaria oculos dirigere oportet, atque omni induſtria procurāda eorum extinctio eſt, aut vacuatio,& ſi hæc obtineri nequeūt,alteratio ſaltem, ac repulſio, in quibus ſcopis tota curationis ratio conſiſtit. Eorum autem interitum, atque extinctionem ea poterunt inducere medicamenta, quæ frigidiſſima ſunt, vel calidiſſima, atque vrentia. euacuationem quæ vel per aluum, vel per cutem, aut alio quocumque modo eos hu-

humores quibus talia ſeminaria agglutinata ſunt valent educere. alterationem verò, ac refractionem, quę medicinalem antipathiam, & contrarietatem per manifeſtas qualitates ad illa habent, vt ea ſunt medicamina, quæ ipſorum miaſmatum viſciditatem, acrimoniam, lentorem, ac ſorditiem valent infringere, & repulſionem demum quæcumque aduerſus illa energiticam habent vim, ac ſpiritalem antipathiam, ſecundum quam venena venenataque omnia à ſe, & à corde expellere, ac detrudere apta ſunt. A communiori ergo ſcopo incipientes, clarum eſt ea omnia conuenire remedia, niſi quid obſit, quæ à communibus cum alijs morbis cauſis, & conditionibus, vt febre, plenitudine, cacochimia, obſtructione, & huiuſmodi requiri ſolent, ac indicari; & propterea ijs omiſſis tamquam nimis vniuerſalibus ad peculiares contagij indicationes conſiderandas deuenio; & ad eam primò, quæ ſeminariorum extinctionem inſinuat. Cui indicationi medicamenta illa ſatisfacere apta erunt, quæ vt ſupra innuimus, & ex Ariſtot. in lib. de Vita, & Morte colligitur, aut extremam caliditatem, vel extremum algorem poſſident, vt in primo genere ignis eſt, & cauſtica nuncupata medicamenta, in ſecundo verò frigidiſſimæ aquæ vſus; quorum primus abſumendo materiam illam, cui iam vapores peſtiferi adhærent, illumque locum adurendo, nihil inſuper remanere ſinit, quod nouam ſobolem producat; ſecunda vero, ſcilicet aqua, & aquea omnia extinguendo præſertim, atque abluendo vapores illos vlteriorem progreſſum remorantur. Vbique tamen non parua imminent ab huiuſcemodi remediorum adminiſtratione pericula; quia ſi de cauſticis loquamur, cum in noſtra hac peſte adſit febris, nullo pacto ea intus aſſumere tutum eſt; exterius verò applicare dummodo id fieret

ab

ab initio vtile re vera exiſtimarem, vt ad primum contagionis præludium veſſicantia propè emunctoria apponerẽtur, nequaquaquam vero ſupra carbunculos, vel tumores; niſi forſan cum iam ad aliquam maturationem deducti ſunt, quia cum vt plurimum fiant ex tranſmiſſione à toto corpore, præterquamquod magis magiſque agitarentur humores, ac proinde magis etiam contaminarentur, periculum eſſet, ne ab inducta ariditate in inuſto loco, vlterior impediretur tranſmiſſio, vt multis contigiſſe audiui etiã Medicis clariſſimis præſertim Bononiæ, hac intempeſtiua inuſtione propriũ interitum accelerãtibus; quemadmodum è contra vbi in ſola ſuperficie labes non adhuc interius valde propagata conſiſtit, non inutilis fortaſſe foret prędicta inuſtio leuis tamen, vt cuidam meo amico in Hetruria contigiſſe ſcio, qui vt primum vidit carbonem in crure ſibi per contagium excitatum puluere pyrio cooperuit, & accenſo igne ſeminaria contagionis extinxit. At ſi de frigidiſſimis loquamur nequaquã ad extra conuenire pro certo habeo, cum hoc modo adminiſtrata impingere potius ad nobiliores partes veneficam vim, quam eam interimere apta ſint; intus verò aſſumpta gelidiſſima aqua tametſi à Rhaſe, Celſo, & alijs commendetur, tamen cùm ſua humiditate poſſit putrefactionem augere, & frigiditate obſtructionem, magna propterea requiritur in ea adhibenda circumſpectio, iuxta nimirum regulas à ſupradictis auctoribus obſeruatas, & à Galeno noſtro in nono, & decimo Meth. medendi propoſitas. Quibus ſi hoc addamus cum Auicenna, vt ea non ſola exhibeatur, ſed cum oleo commixta, & ad albedinem vſque conquaſſata, vtilior fortaſſe erit illius adminiſtratio, quemadmodum ex Simplicio colligi poteſt, qui ſui temporis peſtem quamdam excellentius remedium

oleo

oleo cum vino (addamus nos cum aqua) admixto non habuiſſe in Prædicamento Qualitatis enarrat. Dum vero ſeminariorum extinctioni perdifficili quidem rei incumbimus, eodem quoque tempore de eorumdem vacuatione per ea medicamenta, quæ humores educunt (quæ eſt ſecunda intentio) cogitare oportet. & ideo quam primum, vel ſanguis mittendus eſt, vel catharticum aliquod, aut ſudorificum medicamentum, vel quid ſimile eſt exhibendum, vt vnà cum humoribus ſeminariorum etiam aliqua portio euacuetur. Dubitare autem in primis licet an phlebotomia conueniat, de qua re magna extat apud Medicos diſſenſio, ac controuerſia, (quam præ reliquis aduerſus Petrum Salium, de febre præſertim peſtilenti loquendo, accuratiſſimè examinat in ſuo opere de Indicat.febr.putrid. Doctiſſimus, atque Eruditiſſimus præceptor meus D. Pompeius Caimus olim in Almo hoc Gymnaſio Primarius Philoſophiæ Profeſſor, nunc vero in Patauina Schola cum magna ſui nominis celebritate primam Medicinæ Cathedram obtinens:) dubitationem tamen in huiuſmodi contagioſo affectu experientia enodauit, quippe quæ pernicioſum, aut ſaltem inutile demonſtrauit tale præſidium; & propterea loco miſſionis ſanguinis ex brachio cucurbitulæ potius cum ſcarificatione conueniunt tamquam eæ, quæ ad circumferentiam, per quam viam vt plurimum miaſmata ingrediuntur, & inquinamenta, attrahere valent, minimè ad centrum, vt quælibet ex venis magnis phlebotomia præſtare ſolet. An inutilis reperitur, quia non ab initio adminiſtratur quando iam vires conſtant, vt in Lazaretis contingit, quò non primis horis aſportantur ægri? Ita equidem putarem ſi vera ſunt, quæ de huic prorſus conſimili peſtilenti contagio tradit Doctiſſimus Maſſaria in

lib.

lib. de ſui temporis Peſte, in qua confeſtim adminiſtratum remedium hoc plurimum iuuiſſe affirmat. & ideo vbi primùm actionum læſio conſpicitur, & morbi præludia comparent, tundatur vena, ac poſtea, vt faciebat Petrus Foreſtus in Peſte Delfica, aliquod exhibeatur ſudorificum medicamentum ex illis, quæ apud ipſum experientia confirmata, aut apud alios auctores leguntur. Miſſo autem ſanguine, vel vt maior vult actualiter, vt ità dicam, Practicantium pars, omiſſo, pharmacum aliquod deiectorium exhibeatur, non quidem leniens niſi ſit in magna doſi, ſed purgans, & validè humorum ſarcinam eradicans: horum enim vtrumque minus fallax repertum eſt, quam ordinarium quodcumque aliud, & ordinariò modo propinatum leue medicamentum; ideoque ad rhabarbarum ſtatim, ad agaricum, ad ſenam, ad tripheram perſicam, ad vncias ſex, vel ſeptem ſyrupi roſati ſol. ad elect. de ſucco roſ. & ad fortiora etiam vel ſola, vel cum eodem ſupr. roſ. ſol. aut conſimilibus propinata, niſi abſceſſus, vel exanthemata eruperint, deuenire oportet: tunc enim temporis neque purgatio, neque venæ ſectio, niſi forſan ex venis tumori proximis, aut per cucurbitulas ad emunctoria intumeſcentia, conueniunt: Vomitoria non deſunt, qui commendent, & ea præſertim, quæ è Chymicorum officinis deprompta validiſſima exiſtunt, inter quæ antimonium principem tenet locum; quia tamen vt Gal. docet 11. Meth. 9. periculoſum valde eſt materias putrefactas per ſuperiorem vētriculi partem excellenter ſenſibilem, niſi ad illam inclinent, euacuare, ſatius propterea exiſtimo, tali non exiſtente impetu ab ijs abſtinere, & eorum loco ea amplecti medicamenta, quæ vel per vrinam, vel per ſudorem, aut inſenſibilem trāſpirationem ſuccos noſtri corporis deturbare

vim habent, eaque minimè calidiſſima ſint, vt multa exiſtunt à Medicis Chymicis ad hunc finem ſummopere celebrata, ſed mediocria potius; vel ad mediocritatem per contrariorum admixtionem redacta, quale pro vrina prolicienda ſerum eſſet caprinũ vel depuratum, vel etiam pro delicatioribus deſtillatum, in quo capillus veneris ferbuerit, & parum ſucci limonum, vel citri, aut emulſio ſeminum melonum conſiſteret; pro ſudore autem eliciendo illud eſſet à Foreſto propoſitum, & vſurpatum, quod aquas acetoſæ, ſcabioſæ, & cardui benedicti inſimul mixtas, & dracm. 1. pulueris contra Peſtem ab eo deſcripti complectitur, aut aqua hordei calida vnà cum aliquibus guttulis ſpiritus chalcanthini, vel ſulphuris exhibita, pannis deinde ægrum cooperiendo, & aquæ ſcorzo neræ gelidæ hauſtum per interualla ad propulſandum extra, & anxietatem tollendam offerendo; vel vt multi faciunt apud Venetos drachma vna Ther. cum vnc. octo aquæ rutæ capprariæ: hoc enim remedio, & ſudoris prouocationem, & tumorum peſtilentium ad exteriora excretionem concitari affirmant. Et pro inſenſibili demum tranſpiratu illa eſſet celebratiſſima inunctio ex oleo, aqua, & nitro ab Aetio deſcripta. Neque talem, vel ei analogã inunctionem ob Galenum in 11. Meth. quodcumq. tale linimentũ in vehementi febre prohibentem, reprobare quis audeat; quandoquidem non de febribus mali moris, vt iſtæ ſunt, erat ibi tanti Medici ſermo, ſed de illis ſolum, quæ à materia citra vllam venenoſitatem putrida oriuntur. Veſsicantia præterea pauci erunt vt puto, qui in noſtro caſu ad euacuandos prauos humorum ichores, & à nobilioribus partibus ad ignobiliores eorundem humorum impetum reuellendum, auocandumque non amplectantur. Sed iam transeamus ad ea

me-

medicamenta, quæ non educta, aut non educibilia miaſmata alterare valent,& manifeſtis qualitatibus manifeſtas eorum conditiones acrimoniam ſcilicet, lentorem, & viſciditatem infringere, vt ea omnia ſunt, quæ refrigerandi, atque abſtergendi, exiccandique vim habent, ſiue ſyrupi ſint, ſiue decocta, aut pulueres, vel quid aliud pharmaci genus ex rebus tali facultate præditis coagmentatum, vt ſunt cichorea, acetoſa, agrimonia, pentaphyllon,ſcordeum,omphacium,Citria, limones, cardus benedictus,margaritæ,coralli, fragmenta præcioſa, ſyrupus de ſucco acetoſæ, de acido Citri, de limonibus, acetoſus ſimplex, ſaccharum roſ. diamarenatum, conſerua de ribes; totius citri, aliaque permulta Viris Clariſſimis ſatis ſuperque nota, atque in curatione putridarum febrium non infrequenter vſitata. Quia tamen non per ea ſolum, quæ materialem habent aduerſus huiuſmodi ſeminaria antipathiã, ſed ſpiritalem etiam contrarietatem, qua mediante tamquam inimica occulto agendi modo ſeſe mutuo pellunt, agendum eſt; idcirco ad illa medicamenta vltimo loco dirigere animum oportet, quæ ingenita, ac naturali proprietate aut venena, venenataque contagionis ſeminaria valent repellere, aut cordi ipſi, & vitali facultati robur, ac energiam aduerſus eadem ſeminaria impertiri, qualia multa ſunt ex illis, quæ ſupra diximus materialem antipathiam obtinere, & in præcautione tradenda enumerauimus, ſed præcipuè bolus Armenus, bolus Vngaricus, quem vocant bezaar minerale, terra Lemnia, ſigillata, Meliteñſis, lapis bezaar, ſcordeum,lignum aloes,mirrha, ſtyrax liquida, maſtiche, roſarum ſuccus,bugloſſa,viola, nimphea,Citri ſemen, ſuccus,& cortex, melliſophyllum, doronicum, dictamni radices,& folia,tormentilla, ſcabioſa, ocimi ſemen, os de

 cor-

corde, ac cornu Cerui, ebur, ſaphyrus, ſuccinum, camphora, cinnamomum, cariophylum, amomum, crocus, moſchus, ambarum, gentiana, biſtorta, ſeu carlina, zedoaria, pimpinella, angelicæ radix, imperatoria, coſtum, acorum, ſemen rutæ ſilueſtris, gentianæ radix, iunci odorati flos, ſpicę nardi, aſſarũ, cornu Vnicorni, dens Apri, Theriaca, Methridatum, Electuarium de gemmis, Diamargariton frigidum, Conf. hiacinthina, elect. de ſanguinibus, Confectio Alchermes, elect. de ouo Maximil. Imperat. Elect. Papę, Diaſcordium Fracaſtorij, Antidota Matthioli, Adami Leoniceri, & Medicorum Baſilienſium, Electuarium Ferdin. Imperat. aliaque permulta tum ſimplicia tum compoſita, ex quibus ad prædictam intentionem explendam variæ medicamentorum formulæ præſcribi, & confici poterunt, vt deſtillata varia, theriacales, ac bezaarticæ aquæ, apozemata, iulapia, pulueres, electuaria, conſeruæ, tabellæ, fomenta, epithemata, emplaſtra, linimenta, vnguenta, olea, cataplaſmata, ſacculi, & huiuſmodi, de quibus ſingillatim hic loqui velle ſuperuacaneum profectò eſſet, atque inutile. Quare illud vnum tantummodo de illis iterum repetens, nequaquam videlicet quę calidiora ſunt, & ſicciora, niſi pro temperamenti ægrotantis, anni temporis, ætatis, & febris affligentis exigentia temperata, ac corecta eſſe exhibenda, ad Victus rationem me confero. Quæ ſi alimentorum ſubſtantiam reſpicimus, vt vires valdè fractas reparare valeat, ſit boni ſucci; ſi qualitatem vt excellenti humorum putredini poſſit obſiſtere refrigerans ſit, & aliqualiter exſiccans; ſi quantitatem, cum debeant ægri vt Auic. ait viriliter comedere, & vt ſcribit Gal. 3. epid. ſibi in comedendo vim inferre, plenior ſit potius, quàm tenuior; ſi tempus vt debili virtuti, & perenniter concertanti ſuc-

curratur, parum, & ſæpè propinetur; & poſtremò ſi modum conſideramus vt quam minimum in concoquendo laboret natura ſub liquidiori forma, vt ſorbitiones ſunt offeratur, qualis v.g. eſſet ptiſana cum ſuccis acidis, & ſeminibus melonum, ac puluere aliquo cordiali exhibita, carnes contuſæ, & gelu expreſſum ex carnibus aſſis gallinaceis, vitulinis, ac veruecinis. Potus haud quamquam ſit vinum, ni forſan oligophorum valde, & ſubadſtringens (quicquid nonnulli eum etiam meraciſſimum exhibentes exclament) in furorem enim vertet febrem, & venenatæ materiæ ad caput; & ad cætera nobilia viſcera erit vehiculum; ideoq; vel aqua carnis æquè ac vinum enutriens, vt Auic. ait propinetur; vel oxycratum, vel aqua cum vino granatorum, aut cum ſucco limonum permixta: An etiam conueniet pro potu Aqua de Nucera, quam pro præſeruatione ab imminenti hac Peſte non omittit in ſua Prouidentia Methodica Excellentiſs. Crucius? Conueniet vtique, nam cum talis aquæ minera videatur eſſe terræ lemniæ, aut ſigillatæ, vel boli armeni, aut ſimilis materiæ, antidotum quaſi, atque alexipharmacum aduerſus quaſcumque venenatas materias reputatur. Ideoque in nonnullis Eccleſiaſticæ ditionis locis conſilio cordatiſſimi Viri Illuſtriſſimi D. Thadæi Collicolæ S. D. N. Vrbani VIII. Medici, & Cubicularij intimi, vt idem mihi narrauit, tum pro potu ordinario, tum ad extinguendam ſitim modò confertim, modò per interualla copiosè exhibita mirificè profuit, vt etiam eius lutum ſuper bubones, & carbunculos applicatum. Aer ſit ſiccus abſque prauis odoribus; irroretur pauimentum cum aqua roſ. & aceto roſ. vel cum aqua in qua ebullierint cariophyli, camphora, cinnamomum, ſantali; ſpargantur ve folia vitis, cannarum, roſæ, violæ, ſalicis, & ſimilia. Et ſi

enim

enim in caſu noſtro aer nullam habeat labem, debet tamen alterari ob inquinamenta, quæ recipere poteſt ab halitibus, qui ex ægrotantium corporibus, eorumque excrementis eleuantur, atque etiam vt ſalubris cauſa exiſtat, ſpirituumq. reſtaurationi perfectius valeat deſeruire. Habemus enim (vt alia omittam) apud Diodor. Sicul. lib. 2. Bacchum cùm in Indos duceret exercitum peſte correptum, ex campeſtribus ad montes migrare voluiſſe, atque illic frigidorum ventorum flatu, puriſſimorumque fontium vſu recreatum conualuiſſe. Quies conuenit, & vacatio ab omnibus animi perturbationibus. Somnus, & vigilia ſint mediocria, & conuenienti tempore vſurpata; Et ſi aluus ſuo munere nõ fungatur clyſteribus nunc acrioribus, nunc mitioribus proriretur. Quid vltra agendum? Carbunculi, Bubones, Parotides, alijque tumores contagem hanc concomitantes leuioribus potius, ac emollientibus, quàm acrioribus, & cauſticis, vbi præſertim magna adeſt durities, vt experientia contra veterum placita demonſtrauit, exterminandi. Verum enim vero, quia longa hac mea, atque inculta lectione Veſtrum aliquos tædio iam aifici addubito, hanc propterea partem ad Chirurgos magis, quàm ad Phyſicos attinentem ſub ſilentio inuoluens, finem præſenti diſcurſui impono, & ad repellenda argumentorum tela, quæ Doctiſſimi Domini mei contra propoſitas iuxta huius Almi Archiatrorum Collegij inſtitutum concluſiones obijcient, me accingo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CON-

CONCLVSIONES PROPOSITÆ.

Ex Philoſophia.

1 Animam rationalem ne dum in ſchola Veritatis, ſed etiam in Ariſtotelis Lycęo immortalem agnoſcimus, & æternam.

2 Eadem anima ità efficaciter in humano corpore reperitur, vt non opus ſit alias animas vegetatiuam nimirum, ac ſenſitiuam ab ea realiter diſtinctas in ipſo collocare; immo non has tantùm, ſed formas etiam partiales ſpecie ſubſtantiali completa disiunctas reponere; tametſi capilli, & vngues, addo, ſanguis, humores, & ſpiritus animati, (quod defendi poteſt) conſtituantur.

Ex Medicina.

3 Contagium adeò Peſti familiare eſt, ac coniunctum, vt ſine ipſo minime conſtitui ea poſſit, ac reperiri.

4 Tres Phlebotomiæ ſcopi, magnitudo ſcilicet morbi, virium robur, & florens ætas, ab Hippocrate aſſignati, ità ſufficientes ſunt, vt plethoria velut neceſſarium, & eſſentiale indicans haud quaquam requiratur.

Arguentes à Perilluſtri, & Excellentiſſimo D. Io. Manelpho Prothomedico electi fuerunt.

Perilluſtris, & Excellentiſſimus D. Tiberius à Fonte.

Perilluſtris, & Excellentiſſimus D. Paulus Zacchia.

IN-

INDEX.

Diligentiæ, quas adhibet Eminentiſſ. Card. Barberinus aduerſus Contag. pagina 4

Quid Romanis ſperandum ſit de futuro contagio. 6

De Contagio Antiquorum breuiloquentiam recentiores quidam ſupplere conati, multis modis illud definire tentarunt. 7

Definitio contagij allata à Fracaſtorio recipitur, & explicatur. p. 8. & ſeq.

Quid per contagium communicetur, & unde illud eleuetur. 9. & ſeq.

Quot, & quibus modis contagium fiat. 13. & ſeq.

Num contagium ſit cauſa hodiernæ peſtis examinatur. 14. & ſeq.

Præſeruatio à tam diro affectu inſtituitur. 27. & ſeq.

An hucuſq. inuentum ſit certum præſidium, & quale ad hoc euitandum contagium. 29

Theriaca, & Theriacalia omnia quamplurimis noxia, & cur. 29

Sanguinis miſſio an conueniat pro præſeruatione 30

An Cauteria, Veſsicatoria, & ſetones in ſeroto utilia fuerint. 30. & ſeq.

Poſt lenitiuum, & præparantia auxilia, quale debeat propinari medicamentum purgans. 31

Alexipharmaca medicamenta an conueniant pro præſeruatione; quæve illa debeant eſſe, & quibus cautelis adminiſtranda. 32. & ſeq.

Quid de Arſenico, Sublimato, & Argento viuo demonſtrauerit experientia pro præſeruatione ab hoc contagio. 34

Quæ minus incerta deprehenſa ſunt pro præcautione, aliaq. præſeruatoria auxilia proponuntur. 35

An Peſte correpti debeant curari. 36

Indicationes, & ſcopi pro contagione curanda. 37

Medicamẽta calida, & urentia an conueniant, & quando, itemq. frigida. 39

Sanguinis miſſio an utilis ſit, vel poſſit eſſe in hac curatione. 40

Medicamenta deiectoria an conueniant, qualia, & quando. 41

Vomitoria quando adhibenda, vel reprobanda. 41

Euacuantia per urinam, & ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem commendantur, & proponuntur itemque veſsicatoria. 41. & ſeq.

Varia medicamentorum genera aduerſus hunc labem proponuntur. 42. & ſeq.

Victus ratio ſummatim perſtringitur, & aqua Nucerienſis tamquam utilis reperta, commendatur. 44. & ſeq.

Quomodo experientia demonſtrauerit eſſe tractandos bubones, carbunculos, & parotides in hoc contagioſo affectu. 46

Errata Notabiliora ſic corrigantur.

Pagina 3. viuerint lege iuerint. pag. 13. verſ. 16. l. vuam, & verſ. 29. l. halitus. p. 15. lege auerruncando. p. 19. verſ. 4. dele primo p. 27. verſ. 10. dele fuere. & verſ. 3 n. l. ijs. p. 36. verſ. 1. l. roſarum. p. 38. verſ. 2. l. materialem.

LAVS DEO.

42

Digitized by Google

Digitized by Google